



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Francisco Borgiae Episcopo, Et Pontificalis Aerarii Praefecto Pomponivs
Laetvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277



FRANCISCO BOR-

GIAE. EPISCOPO, ET PONTIFICALIS AERARII

PRAEFECTO POMPONIVS LAETVS.

SOLET QVAERI ab studiosis uiris, utilis ne sit historia. Nos uero non modo utilem & frugiferam, sed necessariam mortalibus esse contendimus. & quemadmodum agricolatione corpora, sic monumentis rerum animi fouentur. Vitæ cupido, pharmaca pellendis morbis inuenit. Series rerum, ne unà cum eo qui gerit, interiret, historiam excogitauit. Quantòq; nobilior corpore animus, tanto cæteras doctes præcellit historia, potissima inq; sibi sapientiæ partem uendicat. In ea enim est imitatio uiuendi, uitia detestatur, uirtutes ardore quodam imitationis effert. & cum rebus omnibus tempora uetustatem adferant, historia numero annorū admirabilior est, & sanctior habetur. Scripserunt multi de eius utilitate, deq; eius obseruatione, quæ præterire negligentia nō est. Ab historicis abesse debent, scdū crimen adsentationis, & amor ac beneuolentiæ, metusq; & similtas, quibus corrumpitur narratio, uti sæpenumero contigit. Aiunt enim, Scribe securus quod lubet, & quod uelis narres, habiturus mendaciorum comites. Principes historiarū cur dissentiunt? Cur uaria tradunt? quod iudicium quo solemus in rebus uti, sapius decipit. Itaq; scribere, quæ ipsi uidimus unde nomen esse memorant, errore liberi uera fateremur. Sed quoniam ad ea quæ ab sæculis nostris remota sunt, ad commodatur narrandi materia, iudicio opus est simul & memoria. Adcuratius legere prodest. Laudatur etiam in historia breuitas, quæ sit aperta ac lucida, ut illa Crispi Sallusti. Liuius modo breuis, modo copiosus, plus eloquentiæ addidit. Sunt & alij candidi, alij nimis falerati & tumidi. Veterum simplicitas, ut fuit M. Catonis, & Q. Fabij, interijt. Nos uero breues esse uolumus, & sapius digressi sumus ornatus gratia. Verum si candor ille simplicitatis antiquæ aberit, ueniã

V u oramus,



oramus: quã cum sciamus minime mereri, præcipue nobis dandam ab his qui legerint, aut audierint arbitramur, præterea historia quouis modo scripta delectationem adfert. Natura ipsa ad rerum notitiam prouocatur, resq; auidius quàm eloquẽtia petitur, ut qui qualibet nuda rerum cognitione etiã anilibus fabellis capiamur. Nihil his commentarijs falsi, quantum perspeximus, ausi sumus. Exorsi ab interitu iunioris Gordiani usque ad exilium Iustini Heracliorum, multa dispersa in unum corpus collegimus, ab Philippis uero usque ad cædem Aemiliani, quia Trebonij Pollionis labor sine capite est, & monumenta illorum temporum desiderantur, nimis circuncise narrauimus. utcũq; certi sumus, pculdubio libellos tibi Borgia placituros, qui memoria sæculorũ plurimũ delectaris, & ob id à publicis negocijs seuo caris. alij uero, si cætera nobis deessent, quoniam titulus tuæ humanitatis index est, satis sunt probaturi.

Vale.

POMPONII LAETI

EPITAPHIVM, PER DOMICVM PALLA
DIVM SORANVM.

Hic iacet exigua Letus Pomponius urna,
Cuius honos merito pulsat utrunq; polum.
Letus erat Romæ uates sublimis, & idem
Rhetor, nunc campis lætior Elysijs.